



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 73. Legatorum difficultas in decidenda hac quæstione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

§. LXXIII.

*Legatorum difficultas in decidenda
hac quæstione.*

Sæc. XVI.

A.C. 1562.

Id, quod Legati hac in re proponebant, neutri parti placebat; nam hi, qui hujus articuli declarationem rejiciebant, querebantur, quod per eam improvisam percontationem in quæstione tam ardua voluissent Concilium ad abortum adigere, foetum maturescere haud permit- tentes illi: hi vero, qui oppositam sen- tentiam tuebantur, cum suorum suffra- giorum nullam haberi rationem cerne- rent, damnabant rationes, quæ ad re- jiciendam eorum opinionem affereban- tur: nec defuerunt ex Patribus non- nulli, qui novam Congregationem a Le- gatis indictam sinistre interpretabantur, palamque dicebant, quod consilium ad rem facilius conficiendam susceptum, quamdam quasi artem illius impediendæ præferat, præcipue cum Patres sat clare locuti sint in superioribus cœ- tibus, & a Legatis indicta nova suffra- giorum collectio non eo tendat, ut sen- tentiæ clarescerent, sed revocari, atque in nihilum redigi possent.

Insuper Eustachius Bellajus Pari- siensis Episcopus die decima quarta A- prilis Tridentum delatus, vehementer se mirari ajebat, quod Episcopi non modo

*Pall. t. 5. n. 2.**Lib. Orat.**Flor. ad**Cosmum die**23. April.**1562.*

Sæcnl. XVI.
A.C. 1562.

modo Synodum convocandi, congregandi, & confirmandi potestatem in summo Pontifice vereantur, sed etiam eidem præmissis Patrum decisionibus definiendi auctoritatem attribuunt: porro id ipsum cum Parisiensi Episcopo sentiebat Miglitius Pragensis Archiepiscopus, qui hæc effatus est: „Patres ad firmam „morum emendationem parum propen- „sos esse, vel ex eo colligitur, quod eo- „rum potissimi residentiam ex jure di- „vino præceptam definiri petentes, nunc „illius articuli decisionem Pontifici, „quem æque, ac suorum Prædecesso- „rum potissimos adversæ esse sententiæ „norunt, remittere cogitent: si vero „Pontifici omnia decreta semel stabili- „tati auctoritas relinquitur, peni- „tus Synodo libertas adimi videtur. „ Eadem quoque consilia hic Præsul Cæ- sari inspirabat; hic enim Princeps datis ad suos Legatos literis perscribebat, quod possit ex eo argui, quam remis- so animo sint Patres ad reformandam Ecclesiam, & quam exili libertate iidem in hac Synodo potirentur. Hæc Mil- tizii temeritas pluribus displicebat Episcopis, atque ex illis unus eidem re- spondit moderata quidem, sed pondero- sa ratione ab eo postulans, ut majorem in loquendo tam celebris confessus ra- tionem haberet; insuper eidem ostendit,
liber-

*Epist. Cæs. ad
Orat. Pragæ
9. Maji 1562
apud Pallav.
l. c.*

libertate sua neutiquam spoliari eos, qui in rebus arduis, & malignis ob contrarias inter se rationes, ac sententias sponte confugiunt ad illius iudicium, quem Deus universæ Ecclesiæ rectorem constituit, cum idem nonnunquam usurpetur in comitiis, ac Conventibus erga suos Principes, ac Magistratus.

Sæc. XVI.
A. C. 1562.

§. LXXIV.

Mala ex Patrum dissidiis exorta.

Ferventibus hisce dissidiis Legatorum primus gravissimis verbis Patres monerat, ne dissidia in hoc conventu fuscitata divulgarent, nec exiguam, qua hucusque in disputationibus usi fuissent, moderationem in vulgus spargerent; porro hæc verba adeo Patrum nonnullos commovebant, ut in exitu e confesso calamitosa illa, ac nimis fervida dissidia lacrymis deplorarent, cupidissimi ea occultandi, cum facultas ipsis deesset illa impediendi: nihilominus dissidii rumor brevi per universam Tridentinam urbem volabat, sparsisque per omnia Regna literis haud parum ingens illa, quæ prius de hoc Concilio habebatur, existimatio, spesque imminuebatur: quinimo non deerant, qui commiscerentur, perinde acsi Mantuanus, & Seripandus Cardinales suam industriam, auctoritatemque impendissent ad emen-